



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

10 De vsu cinerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

## DE VSV CINERVM.

*Petrus  
Cluni-  
cen. lib. 2.  
Misa.  
cap. 22.*

**A**NTIQUISSIMVS est sacrorum cinerū vsus, non tantum in veteri testamento, sed etiam apud Christianos in nouo, qui eos ad significandam & excitandam pœnitentiam, tum in morte, tum in vita adhibere, & capitibus aspergere solent. Nam si humilis abiectusque habitus, ex dolore assumptus, magnam habet vim, & ad producendam in hominis animo humilitatē, & ad prouocandam diuinam misericordiā: multo maiorem vim habebit idem habitus, si ex obedientia Ecclesiæ assumatur, quæ cineribus peculiare etiam preces adiungit, quibus animi demissionem, & Dei clementiam petit. Constat enim, quod opus ex obedientia susceptū, plus habeat meriti apud Deū, propter obedientiæ virtutem, quàm quod sponte arbitrioque nostro perficimus. Et præterea est indubitatum, non frustra, neque sine fructu Ecclesiam suas preces fundere. Aspersio igitur cinerum, iuxta Ecclesiæ institutū, tribus ex causis habet vilitatē: 1, ex opere ipso humilitatis: 2, ex obedientia Ecclesiæ: 3, ex Ecclesiæ precibus. Petit enim multis orationibus in cinerum benedictione Ecclesia, vt istos salutares effectus consequantur fideles, qui sunt his cineribus vsuri.

1. Vt iuuetur homo ad internam humilitatem cordis.
2. Vt benedictio cælestis in asperfos descendat, qua seridè cōpungantur, & de peccatis



catis doleant; considerâtes, per peccatum hominis, & ipsam terram maledictâ fuisse in opere nostro, & nos omnes in cinerem & terram redituros.

3. Ut hi cineres sint salubre remedi-um, ad assequendam remissionem peccatorum, & præmium vitæ æternæ.
4. Ut derur corporis sanitas, ad pœnitentiã pro peccatis agendam.
5. Ut anima ipsa diuina tutela protegatur.
6. Ut illa à Domino impetremus, quæ ad ipsius voluntatem petimus.
7. Ut in bono, constanti animo perseueremus.

Neq. dubium cuiquã esse debet, quin pius Catholicus hæc bona accipiat, quando synccero animo, in capite Quadragesimæ cineribus sacris aspergitur, seriõ secû statuens, eã Quadragesimã, in amaritudine animæ suæ ad peccatorum satisfactiõnem, traducere.

Quòd porro fronti ipsi signum crucis cineribus imprimatur, ad hoc fit, vt ne nos pudeat, ad amorẽ & imitationem crucifixi Dei nostri, publicè pœnitentiã agere: nos, inquam, qui puluis sumus, & in puluerem reuertemur. Sacerdotibus autè non frons, sed caput aspergitur: partim ad reuerentiam sacrificij, ne in eius celebratione aliquid cinerũ in altare decidat: partim, vt ipsi, qui cæteros homines dignitate, ordine, & potestate antecellunt, sciant se breui cineribus & terra regendos.